

asserit formam hujus sacramenti improprie et abusive significare absolutionem, cum peccata non sint vincula, nec Deus nec sacerdos proprie a culpa, nec a pœna absolvat; sed quia ipse Abulensis capite VII, ut in margine indicatur, declaravit sensum catholicum, quæ declaratio fertur in alio originali haberi, et facta apud Eugenium papam, quod scilicet loqueretur de absolutione propriissime dicta, et de culpa actuali, non de habituali, et de reatu ad pœnam, ideo ab ejus impugnatione libenter abstinemus, et etiam a modo loquendi, corrigendo: constabit tamen impugnatione ex dicendis. Posita ergo significatione propriissima et rigorosa verborum, et modo indicativo, adhuc doctores diversos adhibent sensus illius formæ.

XVI. Alii aiunt sensum illorum verborum absolvo te, esse: Ego te ostendo et declaro absolutum a peccatis tuis per contritionem præcedentem. Ita magister in IV, dist. XVIII, §. Non autem, et §. Ligant quoque. Magistrum sequuntur plures antiqui; sed hanc sententiam errorem sapere constat ex Tridentino sess. XIV, c. IX, infra referendo.

XVII. Alii aiunt sensum esse: Ego te absolvo, id est, libero ab obligatione subjiciendi hæc peccata clavibus Ecclesiæ. Ita Gabriel in IV, dist. XVIII, quæstione prima et plures Nominales, quos refert S. Bonaventura distinctione citata, quæstione prima, articulo II, quatenus asserunt liberari hominem a culpa et pœna per actus præcedentes, cum voto seu proposito confitendi: per absolutionem vero cunctam obligationem tolli; ita quod poenitens per confessionem et absolutionem omnino liber maneat a culpa, et pœna. Hæc sententia est affinis præcedenti. Alensis IV p. quæst. LXXX, membro

I, art. I, et S. Bonaventura proxime citatus, censent sensum formæ esse absolvo te, id est, remitto tibi pœnam temporalem; non tamen significare solutionem ex opere operato a culpa et pœna æterna; aliquando tamen addunt sacerdotem impetrare de congruo primam gratiam poenitenti per preces antecedentes absolutionem. Hugo Victorinus libro primo de sacramentis, p. XIV, c. VIII, et Richardus libro de potestate ligandi et solvendi, I p. c. XII, aiunt sensum esse: Absolvo, id est, remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam; quatenus aiunt, solum Deum remittere antecederet ad sacramentum totam culpam.

XVIII. Tandem Medina codice de poenitentia, tract. II, quæstione XXXVIII, §. Videtur ergo, asserit per contritionem absolvi peccatorem a culpa et pœna æterna, non tamen ab exilio patriæ cœlestis, quam aperit sacerdos, quatenus habet claves regni cœlorum. Unde sensus erit: Absolvo te, id est, aperio januas cœlorum. Sed inquisitus a Corduba, ut ipse refert prima parte quæstionarii, quæstione prima, quid intelligat nomine exilii, an scilicet id quod Victorini affirmabant, respondet Medina, primo ab illis differre per hoc, quod illi absolute tribuebant remissionem pœnæ damni et sensus, ipse vero solum pœnam damni; sed si attente perpendatur Medina, sentit hanc pœnam prius etiam remissam fuisse per contritionem, non absolute, sed sub conditione (si scilicet culpabiliter non omittat absolutionem) quod si poenitens omittat accedere ad sacramentum, subibit pœnam damni propter peccata priora: sed omnes hi auctores restringunt nimis potestatem clavium sacerdotibus collatam, quam hæretici absolute negant. Difficile tamen salvatur in his sententiis potestas remittendi pec-

cata expresse a Christo sacerdotibus commissa loco citato, articulo præcedenti.

XIX. Quibus non obstantibus, dicendum est formam hujus sacramenti reddere hunc sensum: Ego te absolvo, id est, ego tibi sacramentum absolutionis impendo, seu sacramentum absolutivum a vinculis, remissivum peccatorum, et collativum gratiæ. Ita S. Thomas hic articulo III ad quintum, quem sequuntur universi ejus discipuli, constatque ex Tridentino sess. XIV, can. IX, definiente sic: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata, anathema sit. » In actu autem judicandi iudex vere absolvit sua sententia; et in absolutione, eo quod sacramentalis, significatur quod efficitur. Cum ergo prius capite primo declarat Tridentinum veram potestatem sacerdotibus collatam ad reconciliandum Deo fideles lapsos; et capite secundo per hoc sacramentum cor liberari a peccatis, sicut per baptismum a commissis ante ipsum; et canone primo: « Effectum hujus sacramenti esse reconciliationem cum Deo; » et canone II poenitentiam esse secundam tabulam post naufragium: absque dubio relinquitur sensum illius formæ esse absolutionem rigorosam a vinculis peccati, quæ fit per gratiam remissivam et sanativam.

XX. Cui oportet addere doctrinam capite quarto, in quo Concilium docet: « Attritionem cum hoc sacramento disponere ad primam gratiam, et remissionem peccati obtinendam ex absolutione sacerdotis: » ergo sensus illius formæ est, quem verba ipsa præ se ferunt, id est, conferri solutionem, cum peccata sunt vinculo moralia, ut habetur

Prov. V: *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Idem passim habetur in Scriptura. Ex quibus omnibus formatur ratio S. Thomæ, sic: Nam sacramenta novæ legis efficiunt quod significant: ergo forma hujus sacramenti significat quod in eo agitur. Consequentia patet, nam perfectio rei attribuitur formæ, secundum quod proportionatur materiæ: hic autem forma removet peccata solvendo illa, ut fiat reconciliatio, quæ intenditur per sacramentum: ergo sensus intentus est legitimus, quod scilicet sacerdos impendit beneficium solutionis a vinculis, etc.

XXI. Secundo, probatur aperiendo falsitatem aliarum sententiarum: omnes enim enervant virtutem efficacem sacerdotibus collatam Joan. X ad remittenda peccata. Et quidem formam non significare declarationem præcedentis remissionis peccati præhabitæ per contritionem, probatur ex S. Thoma citato: « Quia ad talem declarationem desideraretur revelatio Dei specialis superaddita generali revelationi Petro factæ. » Deinde, quia tollit e medio potestatem remittendi peccata, quæ salva fide negari non potest, ut constat ex canone nono citato, unde rejiciendi sunt auctores oppositæ sententiæ, quatenus in eo conspirant. Ex quo etiam ruit Gabriel, quia sacerdos re ipsa non absolveret a peccatis, sed a sola obligatione iterum confitendi illa, quod est negare claves Ecclesiæ. Imo non exigeretur absolutio sacerdotis, cum per solam confessionis auferatur obligatio iteratæ confessionis. Neque ad hoc utilis est gratia conferenda ex opere operato, nec verificatur forma in confessione de solis venialibus, cum non extiterit obligatio confitendi illa.

XXII. Tandem non amplius con-

duceret confessio et absolutio ad delenda peccata, quam cujuslibet alterius præcepti observantia, cum contritio sit omnium præceptorum votum. Unde indiscriminatim verificaretur, quod remitterentur peccata per solutionem decimarum in voto, vel observantiam festorum in voto, etc. ac per confessionem in voto. Alensis etiam rejiciendus ab omnibus censetur, nam ad solam pœnam temporalem tollendam suppetunt plura et pervia remedia, ut sacrificium missæ, indulgentiæ, et similia: ad quid ergo nova sacramenti institutio, et gratiæ infusio, et tot angustiae pœnitentis? Hæc ergo sententia præcipuam efficaciam hujus sacramenti tollit.

XXIII. Hugo et Richardus errant in assignando sensu absolutionis a sola pœna æterna, et non a culpa, quia ut definit Tridentinum sess. VI, cap. XIV, pœna æterna simul cum culpa remittitur: et consequenter quando culpa ante confessionem remissa est (in hac scilicet sententia) hoc sacramentum nihil remitteret; tum etiam, quia culpa mortalis tantum remitti potest per gratiæ infusionem, cum qua (utpote quæ est semen gloriæ, et confert jus ad hæreditatem divinam) nequit compati reatus pœnæ æternæ; tum etiam, quia contritio ex natura sua, in omni statu (etiam sine ordine ad sacramentum) habebat remittere culpam et pœnam æternam, ut constat in justis legis naturæ et legis veteris: ordo autem ad sacramentum non tollit ejus efficaciam intrinsecam, imo auget.

XXIV. Ex his efficaciter expugnatur Medina, nam pœna æterna coalescit ex pœna damni et sensus: si ergo contritio antecedens absolutionem tollit culpam et pœnam æternam, ut constat ex dictis, utramque pœnam damni et sensus tollit. Quatenus vero addit, per contritio-

nem sub conditione (si scilicet exequatur alia ad quæ tenetur, ut confiteri et similia) remitti pœnam æternam damni, etiam aberrat a veritate, cum hoc non sit remitti absolute pœnam; nec remissio illa confert absolute jus ad gloriam, contra sacram Scripturam, et definitiones Conciliorum; tum etiam, nam absolutio non esset forma et causa talis remissionis, sed mera conditio, sub qua contritio remisit antea pœnam, sicut et subsequens adimpletio præceptorum, quæ est sola conditio sub qua fuit remissa culpa, non vero causa influens. Licet in hoc sensu nescio cur neget Medina per contritionem sub conditione futuræ confessionis remitti etiam pœnam æternam sensus. Imo ipse teneretur asserere, per contritionem præcedentem baptisma remitti pœnam æternam, non absolute, sed sub conditione baptismi non omittendi. Ex quibus omnibus relinquatur, sensum formæ hujus sacramenti esse quem adstruimus in nostra resolutione, cum verba hic significant quod efficiunt; efficiunt autem remissionem peccatorum, et absolutionem a vinculis, ut ex sacra Scriptura et Conciliis habemus: unde et id significant.

XXV. Adversus nostram resolutionem sese statim offert duplex casus satis difficilis, in quo non appareret verificatio sensus a S. Thoma assignati. Primus est in sacramento informi pœnitentiæ, quod est verum sacramentum, ut est communis sententia auctorum; nihilominus nec solvuntur peccata, nec confertur gratia justificans et remittens peccata; tunc ergo nequit verificari forma in sensu S. Thomæ. Secundus casus est, quando pœnitens accedit ad hoc sacramentum justificatus per contritionem, vel præcedentem confessionem sacramentalem; tunc enim non sunt vin-

cula moralia peccatorum, a quibus pœnitens absolvi possit, nec adest debitum quod condonari possit: quomodo ergo tunc verificabitur forma?

XXVI. Pro solutione et intelligentia formæ hujus sacramenti notandum, sensum intentum a S. Thoma non esse nugatorium, ut falso existimant aliqui, imponentes ipsi quod affirmat sensum istum: Ego tibi impendo sacramentum absolutionis, id est, ego exerceo circa te sacramentum istud: ego confero tibi, vel applico hoc sacramentum. Sed hæc expositio frivola est, cum non explicet actum judiciale, nec effectum aliquem, sed idem per idem significetur, imo obscurior relinquatur sensus: clarus tamen manet, ut meditatur Cajetanus ex eo, quod impendere sacramentum absolutionis, est sacramentaliter absolvere: ac si diceret: Quantum est ex me, vere te absolvo a vinculis: peccata tibi remitto auctoritative, ut instrumentalis minister sacramenti, et tibi confero sacramentum collativum gratiæ, quam ex se infallibiliter inferet, nisi obicem ponas: nam quantum est ex me, titulum confero ut peccatum remittatur, et ut jus ex peccato ortum sit ablatum.

XXVII. Ex quo patet solutio ad primum casum, nam in sacramento informi, in quo propter indispositionem pœnitentis sacramentum non confert gratiam, verificatur forma: non quia re ipsa detur gratia, sed quantum est ex vi et efficacia verborum, id intendit quantum est de se, licet per accidens non detur. Est exemplum in sacramento ordinis, cujus forma ab episcopo profertur sic: Accipe Spiritum sanctum, etc. Quæ verba verum habent, etiam dum ordinatus existit peccato mortali irretitus, quia faciunt hunc sensum: Impendo tibi

quantum est ex me Spiritum sanctum, cum quo tamen stat non dari gratiam Spiritus sancti habenti obicem. Cujus ratio est, quia cum minister sacramentorum procedat limitata virtute, et sacramentis ligata, non operatur nisi adsint omnia requisita, præsertim si resistit passum, sicuti et judex forensis, dum absolvit innocentem, sententia non est omnino absoluta, sed determinata et limitata ad merita allegata et proposita: sic et sensus formæ hujus sacramenti, non absolute significat absolutionem; sed quantum est ex parte sui, et per habitudinem ad passum non irretitum obice peccati, et non resistentem efficaciam gratiæ.

XXVIII. Ex his constat falsitas sensus, quem adhibent Suarez et Coninchus: Suarez enim disput. XIX, sect. III, num. XIX, asserit sensum formæ esse: Ego tibi gratiam sanctificantem confero, quantum est ex se, remissivam peccati; nam revera in sacramento informi non confert sacramentum gratiam sanctificantem, quam si conferret, non remaneret informe, cum gratia sit incompossibilis cum omni peccato: forma autem sacramentorum essentialiter et substantialiter invariata verificari debet in omni casu. Coninchus disput. IV, dub. VIII, num. LV, asserit verificari hæc verba, quia faciunt hunc sensum: Ego tibi peccata remitto quantum ex confessione potui cognoscere te esse eorum rem, et esse bene dispositum ad eorum remissionem. Displicet autem, quia in sacramento informi sacerdos absolvit prævia illa cognitione, nec tamen remittit peccata, et fallitur in judicando bonam dispositionem esse: ergo sensus iste falsus est: tunc etiam, quia licet non advertisset sacerdos dispositionem pœnitentis, ipsa tamen esset sufficiens dispositio ut absolutio esset valida:

quinimo etiamsi sacerdos existimaret poenitentem non esse sufficienter dispositum, cum re ipsa esset dispositus, valide absolveret, si id intenderet dum apponit formam.

XXIX. Ad secundum casum de justificato accedente postea ad sacramentum poenitentiae, respondetur verificari formam invariato sensu. Absolvit enim sacerdos quantum est ex se, et remittit peccata, etiamsi actu non sint: non enim mentitur, qui offensam, aut debitum dimissum dicit se dimittere iterum, quantum est ex se: et est aliquale exemplum in voto, quo quis se ad aliquid obligavit, quod potest iterum atque iterum repetere, et noviter obligari: sic et in forma hujus sacramenti, quæ quantum est ex se, remittere millies potest idem peccatum postquam est dimissum.

XXX. Objicies contra dicta: Si poenitens nullum commisisset peccatum, vel confiteretur peccatum dubium, quod re ipsa non est, ut existimatum tale, et doleret de illo, verificaretur forma in sensu a nobis explicato, nec tamen efficeretur verum sacramentum: ergo dum quis accedit justificatus per contritionem, aut præcedentem confessionem, non efficitur sacramentum. Uterque enim revera non habet vinculum a quo solvatur: unde neque efficitur sacramentum, et sic non debet forma verificari in sensu intento a S. Thoma: sicuti ad veritatem hujus locutionis: Ego te solvo a vinculis corporeis, non sufficit habere voluntatem solvendi, quantum est ex se, et ex parte desiderantis solvere, si ligatus non esset, sed si re ipsa solutus sit: ergo neque in sacramento sufficit solutio intenta, quantum est ex parte sacerdotis, ut verificentur verba.

XXXI. Confirmatur duplici instantia, in forma extremæ unctionis et matrimonii; nam forma unctionis

verificaretur in sensu assignato, etiam respectu hominis qui nullum unquam commisit peccatum, et in perpetuo amentibus et infantibus. Hæc enim verba: Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, etc. quantum est ex Deo, et ex me significant intentionem indulgendi, si essent peccata. Constat autem quod si nunquam extiterunt, non efficitur sacramentum. Et in matrimonio posset sacramentum iterari millies inter eosdem conjuges, si supereadem peccata jam remissa quantum ad culpam et poenam potest iterari poenitentia, nam contrahere matrimonium non est aliud quam obligatio et traditio mutua corporum, constat autem posse conjugem iterum atque iterum se obligare, et tradere novo vinculo obligationis ad id ipsum, cui antea erat conjux obligatus: unde fieri potest novus contractus matrimonii, et consequenter novum sacramentum, contractus enim matrimonii inter baptizatos sacramentum est.

XXXII. Respondetur ad argumentum, negando majorem. Esset enim forma prolata a sacerdote propositio affirmativa de subjecto non supponente, propter materiam non supponentem: absolveret enim a vinculo quod nunquam fuit tale. Ut si absolveret poenitentem a sola occisione exteriori animæ rationalis, vel Angeli in se, absolutio non verificaretur, cum non renuntiet juri, quod Deus acquisierit in tali culpa, cum enim peccatum nunquam extiterit, nec etiam verum jus, et sic verba sunt affirmativa de subjecto non supponente defectu materiæ. Idem contingit in solutione a vinculis corporeis, materia enim, et objectum proprium illius locutionis est vinculum corporeum solvendum, quod affirmat propositio: quod cum a parte rei non sit, nec locutio vera erit: nequit enim actum agere. At

in solutione a vinculis spiritualibus animæ, materia removenda et objectum propositionis non est exterior ablatio vinculi, sed actus interior, quo sacerdos nomine Dei cedit juri ex offensa acquisito, quæ si semel præcessit, etiamsi sit remissa, etiam quoad omnem reatum poenæ, potest repetita obligatio supervenire ad non utendum eo jure. Potest enim offensus et creditor iterato se obligare ad non exigendum debitum, quod proprie est cedere juri non exigendi: quod si non sit jus aut vinculum, non verificatur propositio. Sic etiam contingit in reconciliatione hominum, in qua iterum atque iterum potest offensus injuriam remittere, et amplexibus repetitis confirmare amicitiam.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur, et quidem ad sacramentum unctionis ex S. Thoma in additionibus quæst. xxii, artic. iv ad primum et secundum, quem sequitur magister Nugno ibi art. ii, definitione ii, quod sacramentum unctionis est poenitentiae confirmativum, ut testatur Tridentinum sess. xiv, ante caput secundum de extrema unctione, et consequenter tantum sunt capaces recipiendi unctionem, qui possunt poenitentiam recipere, et confirmat usus Ecclesiæ communis, quæ non elargitur unctionem eis, quos judicat nunquam peccasse; unde etiam negatur infantibus ante usum rationis, et perpetuo amentibus eadem ratione, etiamsi concedatur cadentibus in amentiam post usum rationis, in quibus sufficienter verificatur forma propter peccata commissa ante amentiam, et congruenter id conceditur, cum unctio sit medicina, quæ applicari non potest nisi post morbum et vulnera. Unde anima quæ nunquam fuit vulnerata, non habet debilitatem ex vulneribus procedentem; unde nec ungi potest oleo sancto a

Christo instituto ad ultimum agonem viriliter peragendum. Sic etiam poenitentiae forma verificari non potest dum non præcesserit peccatum.

XXXIV. Ad instantiam de matrimonio, respondetur concedendo posse conjuges iterata obligatione se mutuo obligare post contractum semel matrimonium, non tamen peragere novum matrimonii sacramentum, quod tunc peragitur, cum vere fit actualis traditio, quæ se conjux tradit, et introducit in actualem conjugis possessionem. Hæc autem introductio incæptionem designat; incæptio autem actualem iterari non potest. Unde nisi dissolvatur matrimonium, quod est impossibile, repeti non potest. Si autem dissolveretur, iterum celebrari posset inter eosdem. Et sic post peractum matrimonium possunt conjuges de novo se obligare novo titulo et vinculo ad adimplendum promissum, non tamen perficiunt novum matrimonii sacramentum ratione tradita; in poenitentia autem potest esse nova cessio juris, et sic novum sacramentum circa eandem materiam.

ARTICULUS IV.

Pro quo supponat sacramentum poenitentiae, et quæ sit illius materia?

I. Supponendum est ex Tridentino sess. xiv, cap. iii, quatuor præcipua reperiri in sacramento poenitentiae, ex quibus integratur ratio sacramenti (scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem ex parte poenitentis, et absolutionem ex parte sacerdotis) ex quibus resultat integrum compositum sacramentale et artificiale causativum gratiæ, in quo duplex compositio, ad nostrum intentum, invenitur, sicuti in quolibet sacramento. Pri-